



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 16. Ximenius Inquisitionis moderationi ab Hispaniarum Rege tentatæ
obluctatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

§. XVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1517.*Ximenius Inquisitionis moderationi ab
Hispaniarum Rege tentatæ
obluctatus.*

Interea Castellæ Rex Judæorum, atque Maurorum donis captus, Inquisitionis tribunal restringere, animo constituit: cum enim Ximenius subinde plures Mahometanos, atque Judæos, qui Christianorum sacris prius imbuti rursus ad pristinos errores redierant, extremo supplicio mulctari jaberet, mortis poenam evadentes querebantur, quod singulis ferme diebus plurium innocentum sanguis effunderetur; unde Deputatos Bruxellas ad Regem rogatum mittunt, ut Inquisitionem ad ceterorum tribunalium normam revocari præciperet, proin juberet, ut accusator simul testem agere non permetteretur, accusatis vero delatorem suum noscendi copia daretur, ac demum testes cum reo conferrentur. Æqua illorum videbatur petitio, ac causæ justitiam ampla, quibus Judæi ac Mahometani Senatum corruperant, munera haud parum promovebant. Insuper hi octoginta Ducalium nummum millia Carolo Regi offerebant, qui pro itinere in Hispaniam pecuniis indigebat. Ergo jamjam omnes Deputatorum votis satisfacere

Q 5

cere

Sæcul. XVI. cere propensi erant, cum opportune Bru-
A.C. 1517. xellas Ximenii Cardinalis epistola defer-
 tur, qua significabat, mutato Inquisitionis rigore nil frequentius, nilque propius fore, quam ut Judices ab accusatis sica conficerentur, ac procul dubio brevi tota Hispania communi seditione turbaretur. Hæc Ximenii ratio adeo prævaluit, ut Deputati re infecta reverti compellerentur.

§. XVII.

Ximenius pro Regis itinere classem parare jussus.

Gomes. l. c. Appropinquante Regii in Hispaniam itineris tempore, Ximenius classem instruere, atque ad Belgii oram, ubi Rex vela dare constituit, transmittere jubebatur. Ipse Cardinalis Castellæ Regem iter suum maturare urgebat, ut motos populorum tumultus præsentia sua compesceret. Querebantur enim illi, omnem Hispaniæ pecuniam in Belgium deportari (*), ac denique exteros omnibus officiis,

(*) Aut injusta fuit horum querela, aut falsum, Regique injuriosum, illum adeo pecuniis inopem fuisse, ut pro suo in Hispaniam itinere a Judæis & Mahometanis etiam cum dispendio justitiæ vindicativæ pecunias accipere paratus fuisset.